



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Exemplis coniugum, coniuges fieri adulteros & adulteras.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

nutu decipi; vt infidias faceret foribus alienis. Quare securè potuit illud sibi imprecari, quod grauissimum etiam Lacedæmonij censuerunt. Nam, Suida teste, *Lacedæmoniorum execratio est: Vinam adificos, ac terram egeras, & equos alas, & vxor tua mæchum habeat, quòd hec omnia sumptuosa & noxia sunt.* Hanc iustam adulterij pœnam Deus etiam Dauidi inflixit, & antè, quàm infligeret, comminatus est. *Eò quod tuleris vxorem Vria, tollam vxores tuas, in oculis tuis, & dabo proximo tuo.* Nimirum iustus iudex, qui oculum pro oculo, dentem pro dente exigit; par pari solet referre; vt de similitudine pœnæ, culpæ magnitudo agnoscatur.

Quanquam coniugi quoque coniux adulter, prauitate exempli, occasionem præbet. Et, dum iusta quadam indignatione ac zelo mouetur vxor, facilè animus stomachans suggerit, vt adulterium adulterio vindicet. Putatque, se non debere esse pudicam, quæ maritum intelligit esse impudicum. Et quid maritus succenseat, quod ipse facit? *Improbus est,* inquit Seneca, *qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum.* Quæ publicè dicit, *Caia tibi fiam, si mihi Caius eris;* eadem tacitè dicit: *Mæcha tibi fiam, si mihi mæchus eris.* Seruanda fides ab viroque alteri est; inquit Lactantius, *immo exemplo continentia docenda vxor, vt se caste gerat. Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare non possis.* Quis vir non ægrè ferat, præstare se fidem vxori mutuam charitatem non exhibenti? cur ergo & vxor non sentiat, se fidelem marito ad alienum torum euaganti?

*Dum fuit Atrides vnà contentus, & illa*

*Castra fuit: vitio est improba facta viri.*

*Primum itaque,* ait Aristoteles, *leges sint viro ad vxorem, vt iniuria cesset, sic nec ipse iniuriam patietur.* Alioqui, si ille fastidit connubium, imitari vult mulier virum, & alium parare amicum. Certè nulla est tam pernicii pudoris adultera, quæ hanc causam perfidiæ suæ non prætetendat; *iniuriam se peccando non facere, sed ferre.* Non ergo tantùm adulterat ipse, sed vxorem quoque suam adulteram facit *homo neque alieni matrimonij abstinent, neque sui custos;* ait Quintilianus, *qua inter se natura*

*Ecc 3*

*connexa*

Suidas verb.  
Dacnomenos.

2. Reg. 12. 14.

VII.

Senec. ep. 95.

Lactant. lib. 6.  
cap. 23.

Quid. lib. 1. de  
arte.

VIII.